

# PUGILLUS PLANTARUM INDIAE ORIENTALIS.

COMPOSUIT

**G. A. WALKER-ARNOTT.**

A. C. N. C. S.

Cum tabula una.

(*Academiae exhib. d. X. Februarii a. MDCCCXXXVI.*)

FRUGILUS PLANTARUM INDIAE  
ORIENTALIS

COMPOSIT

G. A. WALKER-ARNOTT.

A. C. K. S.

Cum tabula una.

(Academice exhib. d. X. Februarii a. MDCCXXXVI.)

---



PUGILLUS PLANTARUM INDIAE ORIENTALIS.

When Dr. Wight and I published the first volume of our Prodrromus florum Peninsulae Indiae orientalis, we confined ourselves to those plants which were either natives of the Peninsula, or had been discovered by the Missionaries, but whether in the Peninsula or in Ceylon, was to us somewhat doubtful. The specimens of the latter were usually very imperfect. Of these, however, I have since the publication of that work, seen more complete materials, in a rich collection of plants made in Ceylon within these few years by the exertions of Colonel Walker, secretary to the Governor of that island, and his Lady, and transmitted by them to my friends Dr. Hooker, and Dr. Graham, Professors of Botany, the former at Glasgow, the latter in Edinburgh.

While examining these I observed many new species which I trust will, ere long, be published by Dr. Hooker in his „Companion to the Botanical Magazine“; but I have in the mean time drawn up the specific characters of a few, most of which are so intimately connected with the Flora of the South of the Peninsula, that I confidently expect that they will be soon found there by my active and persevering friend Dr. Wight. These specific characters, with such observations or corrections upon plants already described, particularly on those in our Prodrromus, as may be necessary for their farther elucidation, form the subject of the following memoir.

Arlary (Scotland).



## RANUNCULACEAE.

1. *Ranunculus subpinnatus* (W. et A.). In hac specie stylus est brevis, basi rectus, apice uncinatus.
2. *Ranunculus pinnatus* (Poir.). Plantam cum descriptione Poiretiana satis convenientem e Ceylano vidi, at carpellis orbicularibus; vereor itaque, ne *R. Wallichianus* huius tantum varietas sit. *R. Ceylanicus* Moon. Cat. Ceyl. pl. p. 43, huc verisimiliter spectat.

## DILLENACEAE.

3. *Acrotrema Wightianum* (Wall.); etiam in montibus Ceylanicis crescit.
4. *Schumacheria castaneaefolia* (Vahl.); nonnulla ad hanc plantam iam adnotavi in opere Jamesonis, „*Edinb. New Philos. Journal*“ dicto, t. XVI. p. 315; quibus varietatem  $\alpha$  promiscue cum varietate  $\beta$  occurrere addas.

## POLYGALAEAE.

5. *Polygala hirsutula* (Arn.); suffruticosa diffusa, ramis teretibus hirsuto-pubescentibus, foliis elliptico-ovatis basi apiceque acutis brevissime petiolatis iunioribus utrinque sparsim hirsutis adultis glabrioribus, racemis supra-axillaribus erectis folio triplo longioribus versus apicem paucifloris, bracteolis minutis subpersistentibus, alis foliaceis oblongo-lanceolatis margine membranaceo ciliato, carina conspicue cristata. In Ceylano.
6. *Salomonina oblongifolia* (De C.). Haec et in montibus Ceylanicis crescit.
7. *Salomonina cordata* (Arn.); caespitosa, foliis sessilibus cordato-ovatis utrinque glabris margine ciliatis, spicis elongatis, capsulis cristato-pectinatis. In montibus Ceylani.

## BYTTNERIACEAE.

8. *Kydia angustifolia* (Arn.); foliis anguste oblongo-lanceolatis



acuminatis basi trinerviis, involucello tetraphyllo primo calycem superante. In Ceylano. A *Kydiis calycina* et *fraterna* evidenter differt foliis angustis.

## ELAEOCARPEAE.

9. *Elaeocarpus obovatus* (Arn.); arboreus, foliis breviter petiolatis alternis late obovatis crenatis, crenaturis mucrone deciduo apiculatis, nervorum axillis nonnullis glanduliferis ramificationibus eglandulosis, petiolis ad apicem vel folio ad basin seta brevi instructis, racemis folio longioribus simplicibus ex foliorum hornotinarum axillis, staminibus subtriginta, antherarum valvis ebarbulatis. In Ceylano. Inter *Elaeocarpos serratum* et *oblongum* collocandus.
10. *Elaeocarpus subvillosus* (Arn.); arborescens, foliis longiuscule petiolatis late ovalibus obtusis vel breviter acuminulatis crenato-serratis subtus eglandulosis iunioribus supra pubescentibus subtus petiolisque tomentosus adultis utrinque glabrescentibus, racemis tomentosus e foliorum annotinarum delapsorum axillis, floribus breve pedicellatis bracteisque pectinato-ciliatis, antheris 20—25 dense pubescentibus, ovario villosus. In Ceylano. Folia adulta circiter 5 pollices longa et tres pollices lata.
11. *Monocera Ceylanica* (Arn.); arborescens glabra, foliis longiuscule petiolatis late ellipticis breviter acuminatis rariter crenato-serratis subtus eglandulosis, racemis infra folia hornotina ortis patentibus laxifloris, pedicellis elongatis subsecundis cernuis, petalis dorso parce sericeo-pubescentibus, staminibus numerosis filamentis pubescentibus, drupae putamine teretiusculo tuberculato. In montibus Ceylani (vidi solummodo in herb. Grahamii exemplum unicum). Affinis *Mon. petiolari* Jack., seu *Elaeocarpo petiolari* Wall. Cat. n. 2673, at folia breviora, pedicelli longiores et racemi infra folia hornotina, haud ex earum axillis orti.



## DIPTEROCARPEAE.

12. *Dipterocarpus laevis* (Ham.). Hanc speciem e Ceylano vidi in herb. Hookeri: est itaque verisimiliter *Dipterocarpus turbatus* Moon. Cat. Ceyl. pl. p. 42, ubi ad Culturam crescere dicitur.

## AURANTIACEAE.

## R I S S O A (Arn.).

- Calyx* cupulatus, breviter ac obtuse 4-fidus. *Petala* 4. *Stamina* 8: filamenta plana, linearia, apice subito ac breve acuminata, alterna breviora ac latiora: *Antherae* cordato-ovatae, mucronulo brevi instructae. *Torus* carnosus, cupuliformis circa basin ovarii. *Ovarium* lineari-ovale, obtusum, in stylum subito attenuatum, 2- (seu rarissime, et forsan casu 3-) locale. *Ovula* duo in quoque loculo, collateralia, ad axin medium affixa. *Stylus* crassiusculus, subelongatus. *Stigma* capitatum, obtusum. Fructus baccatus, subglobosus, 2-spermus. Frutex (seu arbor?) spinosus. Folia simplicia, glabra, oblongo-lanceolata. Flores in corymbos subsessiles, vel racemos breves axillares digesti. Fructus nucis avellanae magnitudine.

Habitus *Atalantiae monophyllae*, at folia maiora, 3—5-pollicaria, 1½—2-poll. lata: habitus etiam quodammodo *Limoniae missionis* Wall.

Genus dicatum cl. RISSOI, qui una cum *Poiteau* monographiam *Citrorum* elaboravit: *Rizoa ovalifolia* Cav. est *Gardoquia multiflora* Ruiz et Pav.

13. *Rissoa Ceylanica* (Arn.). *Limonia citrifolia* Moon. Cat. Ceyl. pl. p. 34 (non Roxb.). In Ceylano.

## ERYTHROXYLEAE.

14. *Sethia acuminata* (Arn.); foliis alternis elliptico-oblongis basi acutis apice subito acuminatis penninerviis subtus pallidioribus,



pedicellis axillaribus petiolos dimidio superantibus solitariis unifloris, calyce 5-fido segmentis ovatis acutis, stylis ad apices fere usque coalitis, stigmatibus globosis. In Ceylano.

## MALPIGHIACEAE.

15. *Ancistrocladus Vahlia* (Arn.). *Wormia hamata* Vahl. in Act. Soc. Hist. Nat. Hafn. t. VI. p.104. Exempla suppetentia floribus tantum inapertis gaudent, fructuque carent. Aliam speciem, forsitan *A. Heyneanum*, e montibus „Courtallum“ Peninsulae nuperrime se accepisse in litteris iam monet amiciss. Wightius. Opusculum supra citatum rarissimum et paucis botanicis visum: en itaque descriptionem Vahlianam. „*Frutex* altissime scandens. *Caulis* erectus, bi-semitripedalis, simplicissimus, annulis protuberantibus notatus, fasciculo foliorum erecto terminatus more *Dracaenae*: foliis confertis, subcuneiformibus. E disco fasciculi foliorum oritur ramus solitarius parum adscendens; primum simplex, dein inter frondes arborum divisus, teres, parum flexuosus, ramulosus: ramuli sparsi, remotiusculi, patentissimi, breves, fasciculo foliorum terminati, extrorsum attenuati, post casum foliorum apice elongati inque hamum revolutum pollicarem subulatum transeuntes. *Folia* circiter tria in apice singuli ramuli, vix petiolata, quadripollicaria, duo minora, lato lanceolata, basi attenuata, integerrima, tenuissime venoso-reticulata, glabra. *Pedunculi* axillares, plures, erectiusculi, subdichotome parum divisi, folio breviores, filiformes, angulati, glabri, rubri. *Flores* racemosi, breviter pedicellati, alterni. *Calyx* monophyllus, 5-fidus: laciniis oblongis obtusis. *Corolla*: *Petalata* 5, calyce duplo longiora, ovata, luteo-albicantia. *Filamenta* 5, erecta, basi annulo carnosio nectarifero cohaerentia, brevia, planiuscula, laevia, rubra. *Antherae* cordatae, corolla



breviores, luteae. *Germen* inferum. *Stylus* globosus vel pyramidalis. *Stigmata* tria, erecta, compressa, apice retusa, antheris parum breviora. *Drupa* turbinata, calyce 5-partito maximo coronata: *laciniis* sesquipollicaribus, duabus minoribus, coriaceis, oblongis, obtusis, obscure nervosis. Habitat in sylvis densissimis cinnamometi prope Bigamen Ceylani insulae.

## MILLINGTONIACEAE.

16. *Millingtonia pungens* (Wall.). Huius in Ceylano varietas crescit foliis ovalibus breve acuminatis, attamen, ut in forma descripta, basi acutis.

## SAPINDACEAE.

17. *Schmidelia Allophyllus* (De C.). Huius speciei, Botanicis hodiernis fere penitus ignotae, exemplum unum vidi in Herbario Grahamii, florens at absque fructu. Petala sunt haud aequidistantia, sed omnino ut in aliis *Schmideliae* speciebus; unguis eorum sunt anguste lineares margine albo-villoso; lamina orbicularis basi albo-villosa. Glandulae quatuor inter petala et torum; duae contiguae maiores concavae. Filamenta 8 in exemplo suppetente petalis breviora, ovarii longitudine, complanata, basi sensim latiora, parce villosa. Antherae subrotundae. Ovarium primo dense-dein parce hirsutum, didymum, biloculare, ovulis solitariis erectis. Racemi spiciformes, breves ( $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$  poll. longi), vix petiolum superantes. Descriptio Linnaeana, in Flora Ceylanica p. 58 et ad calcem p. 8, caeteroquin bona.

## OXALIDAEAE.

18. *Oxalis* (Biophytum) *nuda* (Arn.); caule elato (plusquam pedali) hirsuto-pubescente ad apicem solummodo folioso, foliis umbellatis, foliolis 12—20-paribus lineari-oblongis basi oblique truncatis apice longe et oblique mucronatis supra glabriusculis elevato-



venosis subtus glaucis nervis prominulis, pedunculis pluribus folia aequantibus pubescenti-pilosis, floribus paucis umbellatis, pedicellis basi bracteatis, sepalis lanceolato-subulatis longitudinaliter striatis, stylis brevibus crassis apice emarginatis. In adscensu montis „Adams Peak“ Ceylani insulae (vidi ex. un. in herb. Grahamii). Haec et sequens an sint *Oxalidis sensitivae* merae varietates, an species distinctae, diu haesi, neque hodie omnis apud me dubitatio cessit; in permultis enim cum ista conveniunt, at habitus utriusque est maxime diversus.

19. *Oxalis* (Bioph.) *prolifera* (Arn.); prostrata radicans suffruticosa ramosa, ramis hirsuto-pubescentibus, foliis verticillatis et terminalibus umbellatis, foliolis 8—14 paribus oblique oblongis obovatisve basi apiceque oblique truncatis mucronulatis supra hirsutulis subtus glabriusculis, pedunculis pubescentibus inter folia insertis subsolitariis folio brevioribus, pedicellis 2—5 umbellatis basi bracteis lanceolato-subulatis plurimis instructis, sepalis lanceolato-subulatis longitudinaliter striatis hirsutulis, filamentis basi subdiscretis stylisque subpilosis, stylis profunde bifidis. In Ceylano insula.

#### ZYGOPHYLLEAE.

20. *Fagonia mysorensis* (Roth.). De hac specie nuper ad me amiss. Wightius scripsit, quae sequuntur: „*Fagonia mysorensis* apud Bellary est vulgatissima. Planta est valde variabilis, stipulis folia vel superantibus vel brevioribus illis, foliolis 1—3-lineari-lanceolatis. Plantae vetustiores sunt fruticuli ramosissimi spinosique instar ulicis; hoc in statu folia sunt simplicia seu unifoliolata. Plantae iuniores erectae sunt, foliis omnibus trifoliolatis. In statu inter formas illas intermedio folia sunt 1-, 2-, et 3-foliolata, ex eadem radice. Hinc *Fagonias arabicam*, *mysorensem*, atque *Oliverii* unam eandemque speciem esse suspicor.“



## SIMARUBEAE.

21. *Samadera indica* (Gärtn.). Exemplis pluribus Ceylanicis edoctus sum, pedunculos primo semper erectos esse, at sensim postea fieri cernuos; hinc species Vahlina eadem ac nostra est, nec forsitan *Niota lucida* Wall. distinguenda.

## OCHNACEAE.

22. *Ochna Heyneana* (W. et A.), quam etiam e Ceylano vidi, species est ab *Ochna Wightiana* certe distincta.

## CELASTRINAE.

23. *Kurrimia Ceylanica* (Arn.); foliis ovalibus ovatisve, floribus paniculatis. In Ceylano insula. Fructus oviformis, coriaceus, non dehiscens, unilocularis, monospermus. Semen erectum, (imperfectum, at ob chalazam superiorem) radícula infera.
24. *Kurrimia paniculata* (Wall.); foliis oblongo-lanceolatis, floribus paniculatis. *Wall. Cat. n. 433.* *Bhesa paniculata Arn. in Ed. n. Phil. Journ. XVI. p. 315.* In Penang.

## LEGUMINOSAE.

25. *Sophora heptaphylla* (Lin.); fruticosa, foliolis 7—9-oblongis acuminatis glabris alternis suboppositisve, petiolo pubescenti-velutino, racemis terminalibus laxifloris pubescenti-velutinis, pedicellis patentibus, calyce basi attenuata limbo campanulato 5-dentato, ovario subtriovulato, legumine tenuiter velutino 2—3-spermo inter semina subglobosa constricto apice attenuato. *S. heptaphylla* Linn. fl. Ceyl. n. 164; sp. pl. p. 533 (excl. synonym. omnibus praeter Hermann.). In Ceylani montibus. Stamina vix basi coalita sunt, et una cum petalis ad limbi calycis basin inserta. Etiam *Tephrosia racemosa* et *Ormosia glauca* Wall. ad hoc genus forsán pertinent.
26. *Crotalaria Walkeri* (Arn.); suffruticosa erecta ramosa, ramis



teretibus glabris vel iunioribus minute pubescentibus, stipulis lunatis transversis recurvis, foliis ovalibus basi acuminatis apice acuminatis obtusisve utrinque glabris, racemis terminalibus oppositifoliisque multifloris bracteis subulatis reflexis, pedicellis calyce sublongioribus inter medium et apicem minute bracteolatis, calycis corolla duplo brevioris minute pubescentis laciniis subaequeprofunde fassis, legumine minutissime pubescente breviter stipitato obovato-oblongo calycem 5—6-florum superante. In montibus Ceylani alt. 1000 hexapod. Affinis *Crotalariae Heyneanae*, attamen vix varietas.

27. *Crotalaria bifaria* (Linn.) var? *multiflora*; robustior, pedunculo 4—6 pollices longo apice racemum brevem 3—7-florum ferente, floribus maioribus. In Ceylano alt. 670 hexapod. Praeter has notas non differt a *Crotalaria bifaria* Linn.; varietatem igitur luxuriantem potius quam speciem propriam esse autumo.

28. *Crotalaria evolvuloides* (Wight.). Haec etiam in Ceylano crescit. Legumen est sub-8-spermum, haud, ut in Prodr. fl. Penins. p. 188, errore typographico, 3-spermum.

29. *Crotalaria medicaginea* (Lam.). In hac specie pedunculi versus apicem flores 2—5 (haud, ut in Prodr. fl. Penins. p. 192 impressum, duos tantum) ferunt.

30. *Psoralea corylifolia* (Linn.). Roxburghius hanc descripsit foliis rarius trifoliolatis; exempla autem omnia, quae vidi e Peninsula allata, foliolo unico instructa erant, at vero quaedam Ceylanica foliola ternata ostendunt.

31. *Indigofera galegioides* (De C.); fruticosa erecta ramosa, ramis teretibus glabris, foliis pinnatis sub-15-foliolatis, foliolis elliptico-obovatis obtusis mucronulatis glabris vel minute pubescentibus, stipulis subulatis subsetiformibus minutis erectiusculis, race-



mis folio longioribus multifloris sessilibus, floribus (parvis) pluribus deciduis, calycis laciniis breviusculis ovatis acuminatis, leguminibus versus basin pedunculi approximatis sutura utraque subcallosa prominula, seminibus cylindraceutis basi apiceque truncatis. In Ceylano insula. Affinis Indigoferae Wightii et Indigoferae tinctoriae. In multis convenit cum descriptione, a cl. De Candolle data, at ab *Indigofera cassioides* Rottl., cui in Prodromo regni vegetabilis proxima posita est haec species, omnino aliena: sin nova, *Indigofera fasciculata* appellari posset.

32. *Pueraria* ad Hedysareas certe pertinet (vidi exempl. fructiferum in herb. cl. Hookeri).
33. *Dumasia pubescens* (De C.) in Ceylano crescit. Exempla fructifera genus hocce ad Phaseoleas prope *Cantharospermum* relegandum esse demonstrant.
34. *Glycine mollis* (W. et A.). In exemplis quibusdam Ceylanicis ramuli iuniores foliolis quandoque anguste lanceolatis instructi sunt.
35. *Zornia Walkeri* (Arn.); annua diffusa, foliolis binis ex oblongo-lanceolatis in obovata transeuntibus mucronatis glabris margine costaque subtus parce pilosis subepunctatis, bracteis sagittato-ovatis acutis ciliatis subopace punctatis, legumine bracteas subaequante pubescente reticulato-venoso inermi. In Ceylano. Affinis videtur *Zorniae dyctiocarpae* De C.
36. *Smithia paniculata* (Arn.); caulibus pedunculis pedicellis calyceque (praeterquam ad basin) glandulosis pilosisque, foliolis cuneato-oblongis obtusis retusisve margine setosis caeteroquin glabris, floribus in paniculam terminalem aphyllam laxam digestis, calycis labio superiore lato truncato leviter emarginato inferiore breviter 3-fido, leguminibus sub-4-articulatis parce reticulato-venosis et tuberculatis. In Ceylani monte „Neueri-Ellia“ ad sca-



- turigines alt. 1000 hexap. Pili calycis et partium plantae iuniorum aurei. Flores flavi: vexillum striatum maculis duabus magnis sanguineis eleganter pictum. Affinis est *Sm. blanda* Wall., at inflorescentia paniculata, floribus minoribus, patriaque differre videtur.
37. *Desmodium Wightii* (Gr.). Varietatem minus diffusam e Ceylano vidi allatam, ramis racemis foliisque iunioribus plus minusve hirsutis, leguminibus subpubescentibus.
38. *Desmodium Walkeri* (Arn.); erectum strictum rigidum basi lignescens, ramis ramulisque teretibus incano-pubescentibus, foliis brevissime petiolatis trifoliolatis, foliolis ellipticis vel oblongo-lanceolatis obtusiusculis supra glabris subtus cano-pubescentibus subglaucisque, stipulis lanceolato-subulatis, racemis elongatis multifloris subterminalibus in paniculam strictiusculam digestis tomentoso-pubescentibus, bracteis lanceolato-subulatis ternis, pedicellis breviusculis ternis patulis, leguminibus pubescentibus 3—5-spermis, articulis subsemicircularibus. In Ceylano. Quod ad fructum et bracteas affine est *Desmodio Wightii*, at multis differt.
39. *Desmodium cateniferum* (Arn.); fruticosum, ramis patulis teretiusculis iunioribus angulatis glabris vel minute pubescentibus, foliis petiolatis trifoliolatis foliolis oblongo-lanceolatis acuminatis supra glabris reticulatim venosis subtus minute pubescentibus, stipulis lanceolato-subulatis, racemis pubescentibus terminalibus subramosisque vel subterminalibus simplicibusque, bracteis anguste lanceolatis subulatisque, pedicellis 2—3-nis patentibus apice incurvis cum floribus resupinatis, leguminibus elongatis linearibus pilis brevibus uncinatis dense tectis utrinque ad genicula paullum constrictis, articulis anguste ovalibus basi apiceque truncatis latitudine 3—4-plo longioribus. In Ceylani montibus alt. 1000



hexap. *Desmodio recurvato* affinius quam ulli alii specierum, quas adhuc vidi, sed ab ista quoque multum differt.

40. *Desmodium podocarpum* (Wall.); crescit in Ceylano.

41. *Taverniera cuneifolia* (Arn.); foliis 1-foliolatis petiolatis superioribus abortivis, foliolo cuneato-obovato recurvo-mucronulato crassiusculo glabro vel pubescente, pedunculis ex stipularum aphyllarum axillis brevibus versus apicem flores 1—4 brevissime pedicellatos ferentibus, leguminis articulo inferiore abortivo stipitifor mi superiore inaequaliter subovali setis rigidis apice hamosis echinato. Hedysarum cuneifolium *Roth. nov. pl. sp. p. 357.* Onobrychis cuneifolia *De C. prodr. II. p. 348.* In Mysore legunt Heyne et Campbell. Minime est, ut in Prodro mo fl. Penins. I. p. 198 dubie indicatum est, *Indigoferae* species. At necesse erit characterem generis, a cl. Candollo datum, sequentem in modum mutare.

#### TAVERNIERA De C.

„*Calyx* basi bibracteolatus, 5-fidus, subbilabiatus, laciniis lanceolato-linearibus acuminatis. *Corolla* papilionacea: vexillo subobovato;“ alis parvis petalis caeteris subduplo brevioribus; „*carina* obtusa“ vel oblique truncata. „*Stamina* 10 diadelp ha (9 et 1) recta“ aut inflexa. „*Stylus* filiformis longus flexuosus deciduus.“ *Ovarium* 2-ovulatum. „*Legumen* plano-compressum ex articulis duobus monospermis constans,“ articulo inferiore quandoque abortivo stipitifor mi, fertilibus ovalibus orbicularibusve (semper?) aculeatis seu setosis, sutura utraque convexa. „Suffrutices orientales vel Indici. Folia 1—3-foliolata. Stipulae inter se basi connatae. Flores rosei aut albi,“ demum scariosi et subpersistentes.

42. *Lespedeza? indica* (Spr.). *Flemingia Rothiana* De C. *Hallia trifoliata* Roth. Haec planta, ut nunc certior factus sum, ad ho-



- rum generum trium nullum revera pertinet; est enim *Rhynchosia rufescens* DeC., de cuius reliquis synonymis conferas Wight et Arn. Prodr. fl. Pen. I. p.239. Etiam in Ceylano crescit.
43. *Alysicarpus bupleurifolius* (DeC.). Huius varietatem ex ora Malabarica, apud Cannanore a D. Campbell lectam, nuperius accepi foliis multo latioribus et brevioribus, inferioribus ovalibus.
44. *Dunbaria oblonga* (Arn.); foliolis utrinque pubescentibus terminali oblongo acuminato, petiolis nervisque subtus fulvo-subtomentosis, calyce fulvo-sericeo, lacinia suprema lateralibus longitudine latitudineque subaequali, corollae alarum calcare parvo lato obtusiusculo, leguminibus 4—5-spermis. In Ceylano.
45. *Acacia Catechu* (Willd.). Huius varietatem luxuriantem, vel forsam speciem propriam, in Ceylano lectam, in herb. Hookeri vidi, glandulis solitariis inter omnes foliorum pinnas praeter paucas medias et quandoque geminis inter extremas praeditam.
46. *Acacia Roxburghii* (W. et A.). Hanc in Prodr. fl. Penins. descripsimus ad exemplum in herb. Banksiano asservatum; varietatem tantum esse nunc puto plantam, quam in schedulis quondam sic appellavi atque descripsi: *Acacia Campbellii*, fruticosa spinosa, foliis bipinnatis, pinnis 5—6 paribus approximatis glandula concava inter par extremum, foliolis 8—10 paribus minutis arcte imbricatis crassiusculis oblongis acutis mucronulatis pilis brevibus parce tectis, petiolis teretibus hirsutis, spinis axillaribus folia superantibus basi connatis longe subulatis teretibus, pedunculis axillaribus 1—3-nis spinis brevioribus bracteolis duabus persistentibus infra medium instructis, capitulis globosis, corolla 5-fida, staminibus numerosis discretis, leguminibus linearibus tenuibus contortim flexuosis. In Mysore; *Campbell*. Ab *A. Roxburghii* vera praecipue differt foliis haud glabris, ramisque iunioribus saepissime hirsutis.



## ROSACEAE.

47. *Agrimonia Eupatorium* (Linn.). *Agr. ceylanica* Moon. Cat. Ceyl. pl. p. 37. In Ceylani montibus alt. 1000 hexapod. Nullo modo ut speciem vel varietatem propriam distinguere possum hanc plantam Ceylanicam a forma communi in Europa vulgatissima.
48. *Alchemilla vulgaris* (Linn.). Ante Prodromi fl. Penins. evulgationem hanc speciem e Neelgherry recepi; at minime indigenam credens, illam praetermisi. Nunc tamen in montibus Ceylani alt. 1000 hexapod. lectam vidi: hinc montibus Indiae australioris et Ceylani altis indigenam esse persuademur. Nec vero in Nepalia, neque in aliis Indiae septentrionalis montibus crescere videtur, et cl. Wallichius in catalogo suo generis haud meminit.
49. *Rubus leucocarpus* (Arn.); caulibus glaucis glabris aculeis recurvis armatis, ramulis iunioribus petiolisque aculeatis tomentosopubescentibus, foliis pinnatis, foliolis 5—7 subplicatis ovatis acuminatis terminali latiore supra pubescentibus subtus concoloribus inter nervos pubescentes pilososve glabris margine inaequaliter dentato-serratis, stipulis subulatis tomentosis, floribus axillaribus subbinis vel in corymbum terminalem digestis, laciniis calycinis triangulari-ovatis apice subulatis pedicellis carpellisque breviter tomentosis. In Ceylano alt. 1000 hexapod. Valde affinis *Rubo lasiocarpo* Sm., at folia subtus minime albo-tomentosa.
50. *Fragariae vescae* (Lin.?) e Ceylano alt. 1000 hexap. lecta exempla perpauca vidi male asservata. In Catalogo Moonii autem hanc speciem e Britannia introductam esse, nescio an recte, affirmatur.

## RHIZOPHOREAE.

51. *Carallia ceylanica* (Arn.); foliis cuneato-obovatis obtusis integerrimis, petalis sub-7 margine undulatis lobos calycis triangulari-lanceolatos aequantibus, stigmatibus 3—5-fido segmentis



- emarginatis. In Ceylano. Ovarium 1-loculare, ovulis duplo pluribus quam stigmatis lobis primariis. Flores ad apices ramificationum inflorescentiae sessiles capitati, gummi obliniti.
52. *Carallia sinensis* (Arn.); foliis cuneato-obovatis breviter ac obtuse acuminatis integerrimis subtus (an casu?) nigro-punctatis, petalis sub-7 orbiculatis apiculatis margine crispulis laceratisque calycis laciniis triangulari-lanceolatas aequantibus, stigmate convexo 4—5-lobo lobis emarginatis. Diatoma brachiata Lour. Petalotoma brachiata DeC. Prodr. III. p.295. Ad Canton sinarum crescit. Caralliae ceylanicae valde affinis, at foliorum petalorumque forma atque patria differt. Inflorescentia eadem, eadem est ovarii structura, hinc in genere toto ovarium uniloculare 6—10-ovulatum esse nunc autumo.

## MYRTACEAE.

53. *Syzygium rotundifolium* (Arn.); fruticosum, foliis approximatis brevissime petiolatis orbicularibus subretusis coriaceis subepunctatis superne lucidis aveniis subtus penninerviis, cymis terminalibus sessilibus capituliformibus paucifloris, calyce obovato breviter 5-dentato. In Ceylani montibus alt. 1000 hexap.
54. *Syzygium Neesianum* (Arn.); foliis subsessilibus oblongo-lanceolatis apice obtusis planis subcoriaceis punctatis penninerviis, cymis terminalibus corymbosis trichotomis laxis, pedunculis compresso-tetragonis partialibus umbellulam 3—7-floram ferentibus, pedicellis calyce breviter turbinato leviter 4-lobo duplo brevioribus. In Ceylano. Differt a *Syzygiis Iambolano, caryophyllaeo*, et reliquis affinibus omnibus foliis subsessilibus.
55. *Eugenia? capitellata* (Arn.); fruticosa dichotoma ramosa glabra, foliis subdistichis brevissime petiolatis ovatis vel ovato-oblongis longe attenuatis basi trinerviis obscure pellucido-punctulatis,



pedunculis axillaribus gracilibus folio subdimidio brevioribus apice flores tres sessiles (minutos) ferentibus. In Ceylano. Foliorum axillae setis pluribus atrofuscis brevibus instructae sunt. Calyx 5-fidus, cum ovario haud semilineam excedens, basi bracteolis binis suffultus: lobi ovales, obtusi. Stylus filiformis, lineam longus: stigma simplex. Folia revera sunt penninervia ut in Myrtaceis aliis, at nervi ita immersi sunt, ut visu difficillimi; nervuli autem margini paralleli, in quos nervi divergentes conflantur, conspicui sunt: hinc folia ad speciem trinervia.

56. *Eugenia ceylanica* Willdenovii, quam veram nunc ante oculos habeo in Ceylano etiam proveniente, differt ab *Eugenia bracteata* habitu at vix caractere. Folia sunt maiora, 3—4-pollices longa, elliptico-oblonga, basi in petiolum angustata, apice acuminata, acumine obtuso; sunt porro multo magis coriacea, punctulis pellucidis minutis et fere inconspicuis attamen haud omnino obsoletis. Pedicelli raro ex axillis revera oriuntur, sed saepius duo vel quatuor ramulis brevibus ferrugineo-pubescentibus axillaribus opposite sunt inserti et ad insertiones bractearum lineari brevi instructi. In utraque specie folia adulta glabra, inflorescentia ferrugineo-pubescentibus, eadem calycis bracteolarum petalorum stylique forma. An sint species diversae, an eiusdem speciei varietates, aliis diiudicandum relinquo.

#### HALORAGAEAE.

57. *Serpicula hirsuta* (W. et A.). Huius varietatem, vel forsam speciem distinctam, in Ceylano lectam vidi pedicellis folio brevioribus, caeteroquin cum varietate  $\alpha$  (Prodr. fl. Penins. I. O. p. 338) omnino congruentem.
58. *Haloragis oligantha* (W. et A.) suffruticosa est, ut ex specimine Ceylanico melius edoctus sum.



## CUCURBITACEAE.

59. *Bryonia deltoidea* (Arn.); caulibus gracilibus glabris striatis, cirrhis simplicibus, foliis petiolatis deltoideis acuminatis paucidentatis glabris supra calloso-scabris subtus laevibus, floribus masculis axillaribus subbinis vel in racemum brevem in ramulo brevi digestis (fem. ignota). In Ceylano insula.

## CACTEAE.

60. *Rhipsalis cassytha* (Gärtner). Cactus pendulus Moon. Cat. Ceyl. pl. p.38. Exempla Ceylanica fructum 30—40-spermum gerunt, seminibus nigris nitidis.

## UMBELLIFERAE.

61. *Hydrocotyle nepalensis* (Hook.) in Ceylani montibus etiam crescit; huc forsitan trahi debet *Hydrocotyle capitata* Moon. Cat. Ceyl. pl. p.22 (non Du Pet. Th.).
62. *Helosciadium Heyneanum* (De C.). Huc referri debet *Sium triternatum* Moon. Cat. Ceyl. pl. p.22.
63. *Heracleum nepalense* (Don.) forsitan in monte Adams Peak Ceylani crescit, at exempla suppetentia haud ita sunt conservata, ut speciem certo indicare audeam; est *Sium lobatum* Moon. Cat. Ceyl. pl. p.22.

## ARALIACEAE.

64. *Panax Heyneana* (Wall.); „fruticosa inermis, foliis simplicibus integris latis orbiculari-cordatis petiolatis integerrimis coriaceis glabris, paniculae ramis racemosis, umbellulis paucifloris.“ G. Don. In Peninsula; Heyne.
65. *Hedera ovata* (Wall.); „inermis, foliis simplicibus integris ovato-ellipticis integerrimis coriaceis obtuse acuminatis subtus ferrugineis, pedunculis axillaribus solitariis terminalibusque umbellatis, umbellulis multifloris.“ G. Don. In Peninsula.



66. *Paratropia terebinthacea* (Arn.); arborea glabra, foliis digitatis, foliolis 5—7 (in exemplo suppetente 6) longiuscule petiolatis ovalibus obtusis retusisve integerrimis coriaceis prominule venosis, thyrsis alternis in ramulis iunioribus ramos terminantibus aphyllis, bracteis nullis (vel potius caducis?), floribus pedicellatis 4—7 umbellatis, petalis staminibusque 6—8 (saepius 8). *Hedera terebinthacea Vahl. symb. 3. p. 42?* *Heptapleurum stellatum Gärtn.?* In Ceylano insula. De sua planta haec monuit Vahlius: „Stylus unicus longitudine filamentorum, attenuatus;“ in nostra stigmata 6—8 sessilia in disco epigyno fere immersa, ut in genere *Paratropia*: hinc dubitanter Vahlum citavi, licet in reliquis omnibus descriptio bene quadret.

## LORANTHACEAE.

67. *Loranthus tomentosus* (Heyne). Huius varietatem ( $\beta$ ; *hirtifloram*) vidi e Ceylano, insignem corolla pilis longis patentibus ferrugineis hirto-villosa.

## RUBIACEAE.

68. *Nauclea Missionis* (Wall.); „foliis lanceolatis glabris, pedunculis terminalibus solitariis basi bracteatis, stipulis lanceolatis acutis, capsulis inter se liberis.“ *G. Don. Naucleae parvifoliae* affinis videtur.
69. *Uncaria Gambier* (Roxb.); etiam in Ceylano crescit.
70. *Ophiorrhiza Harrisiana* (Heyne); caulibus petiolis pedunculis nervisque foliorum subtus pubescentibus, foliis ovatis vel rotundato-ovatis acutiusculis supra glabris et viridibus subtus pallidis, corymbis terminalibus pedunculatis dichotomis. Radix valde repens.“ *G. Don.*
71. *Ophiorrhiza pectinata* (Arn.); caule basi lignescente, foliis omnibus versus ramorum apices approximatis 6—8 ovali-lanceo-



latis basi apiceque breviter acuminatis glabris tenuibus, stipulis lanceolato-subulatis, cyma pedunculata terminali corymbiformi compacta, ramis brevibus submultifloris, floribus approximatis, bracteis oblongo-linearibus ad pedunculorum partialium pedicellorumque basin sitis fructum subaequantibus. In Ceylano.

72. *Hedyotis Lessertiana* (Arn.); fruticosa glabra, ramulis compressiusculis, foliis oblongo-lanceolatis acuminatis petiolatis rigidis nervis pluribus simplicibus subtus prominulis, stipulis marcescentibus inferioribus vaginantibus tubulosis truncatis setis paucis apice latioribus coronatis supremis scariosis triangularibus, panícula corymbiformi pedunculis primariis elongatis propriis brevibus, pedicellis calyce brevioribus, calycis limbo cupulato 4-dentato, corolla extus subpuberula in fauce et secus laciniis villosobarbata, capsula oblongo-obovata dicocca. In Ceylano alt. 1000 hexap. Affinis habitu *Hedyoti fruticosae*, at calyce et fructu *Hedyotis stylosae*. Stamina in quibusdam exemplis exserta cum stylo incluso, in aliis inclusa cum stylo exserto. Hanc duplicem structuram, in Rubiaceis prius a cl. D. Donio cum de *Lucilia gratissima* verba faceret adnotatam, ignorabat cl. Richardius, de *Knoxia* praedicans: „le genre est bien nettement caractérisé par ses étamines sessiles et incluses.“ (Mém. de la Soc. d'Hist. nat. V. p. 153.)

73. *Hedyotis Walkeri* (Arn.); ramis compressis pubescentibus vel breviter villosis, foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis basi acutis supra glabris subtus pubescentibus ad nervos venasque hirsutis, floribus axillaribus dense capitatis, capitulis globosis sessilibus petiolo subdimidio brevioribus. In Ceylano. Admodum est affinis *Hedyoti macrophyllae* Wall., et forsán haec eadem est, quam cl. Wallichius ex herbario Madrasp. obtinuit.



74. *Hedyotis nodulosa* (Arn.); fruticosa, ramulis subcompressis hirsutis, foliis breve petiolatis oblongo-lanceolatis apice attenuatis basi acuminatis supra parce hispidis subtus ad nervos adpresse hirsutis caeteroquin glabriusculis, floribus dense capitatis subverticillatis, capitulis axillaribus sessilibus petiolum superantibus, corolla infundibuliformi ore dense barbato, fructu turbinato calycinis laciniis lanceolato-subulatis patentibus coronato dicocco hispido. In Ceylano. Affinis quoad fructum *Hedyoti macrophyllae*, at habitu fere omnino *Hedyotis ulmifoliae*.
75. *Hedyotis plantaginifolia* (Arn.); caespitosa, radice crassa, caulibus brevibus scapiformibus ramosis, foliis radicalibus magnis lineari-lanceolatis acuminatis basi semiamplectentibus glaberrimis 5—7-nervibus, caulinis paucis ad pedunculorum bases tantummodo sitis linearibus, floribus capitatis terminalibus verticillatisque, calycis limbo 5-partito laciniis lanceolatis carinatis tubo corollae longioribus, corolla in fauce et secus lacinias copiose albo-barbata. In Ceylano. Ad sectionem nostram *Diplophragme* et § 3 pertinet. Caulem quem supra diximus, rectius fors scapus est appellandus, et caulis verus brevissimus caudiciformis. Planta valde singularis, adpectu quodam monstruoso. Stamina in exemplis nostris exserta.
76. *Hedyotis Richardiana* (Arn.); herbacea diffusa basi vel infra genicula radicans, caulibus elongatis glabriusculis, foliis ovatis (pollicaribus) subacuminatis acutis petiolatis supra parce hispidis subtus pallidis ad nervos hirsutulis caeteroquin glabriusculis, stipularum setis utrinque 3—5 vaginam suam aequantibus petiolis 2—4-plo brevioribus, corymbo thyrsiformi elongato laxo glabro, laciniis calycinis acuminatis, corollae infundibuliformis extus glabrae tubo calycis limbum duplo superante, capsula compressa obovata disperma, seminibus tereti-oblongis. In Ceylano. Affinis



- habitu *Hedyoti Leschenaultianae* W. et A., at caractere fere *Hedyotis monospermae*.
77. *Hedyotis nummularia* (Arn.); herbacea diffusa, caulibus hirsutis elongatis, foliis subsessilibus late ovatis obtusiusculis basi rotundatis (4—7-linearibus) utrinque pilis articulatis hirsutulis, stipularum setis brevibus inconspicuis, corymbis terminalibus pedunculatis, floribus subcapitatis, calycis laciniis lanceolatis corolla tubulosa puberula dimidio brevioribus. In Ceylano. Capsula ignota. Affinis *Hedyoti Leschenaultianae*, a qua, inter alia, setis stipularum brevissimis differt.
78. *Hedyotis nummulariformis* (Arn.); herbacea diffusa radicans, caulibus elongatis glaberrimis vel utrinque linea obscura pubescente notatis, foliis orbiculari-ovatis glaberrimis brevissime petiolatis, stipularum setis brevissimis subinconspicuis, floribus subcapitatis, capitulis pedunculatis, pedunculis terminalibus ternis, calycis laciniis lanceolatis corollae infundibuliformis tubo puberulo triplo brevioribus. In Ceylano. Ab *Hedyoti nummularia* differt praecipue glabritie, attamen vix est varietas existimanda.
79. *Hedyotis Neesiana* (Arn.); diffusa, ramis simplicibus elongatis inferne teretiusculis sulcatis superne tetragonis glabris ad angulos scabriusculis, foliis ovato-oblongis acuminatis basi obtusis subsessilibus supra nitidis minutissime calloso-punctatis versus margines subtusque ad costam scabris, stipularum setis utrinque 4—6 hispidis rigidis, floribus axillaribus sessilibus, fructu ovato glabro setas stipulares aequante calycis laciniis oblongis obtusiusculis conniventibus margine ciliato-scabris coronato. In Ceylano. Valde affinis *Hedyoti nitidae*, at folia neutiquam basi acuminata.
80. *Hedyotis tubularis* (Br.); „glabra erecta, foliis ovatis acutis, pe-



dunculis terminalibus axillaribusque umbellatis capitatisve, floribus congestis subsessilibus, corollae tubo longo gracili. Annua,  $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ -pedalis.“ *G. Don.* (sub *Oldenlandia*), qui huc ducit *Hedyotin tubularem* Br. et *Hedyotin minimam* Heyne.

81. *Hedyotis mysorensis* (Heyne); „pubescens, caulibus tetragonis, foliis ovatis acutis ciliatis subtus ad nervos venasque et in petiolis ferrugineo-pubescentibus, pedunculis terminalibus axillaribusque racemosis ramosis, floribus subsessilibus. Annua, pedalis.“ *G. Don.* (sub *Oldenlandia*).

82. *Hedyotis puberula* (Br.); „undique pubescens, foliis lineari-lanceolatis mucronatis, pedunculis axillaribus vel e caulibus dichotomiis, floribus umbellatis umbellis solitariis vel ternis tumque pedunculatis cum foliis binis ad basin pedunculorum. Annua, semipedalis.“ *G. Don.* (sub *Oldenlandia*). Haec atque species duae praecedentes mihi adhuc obscurae.

83. *Canthium lanceolatum* (Arn.); fruticosum inerme glaberrimum, foliis oblongo-lanceolatis obtuse acuminatis basi in petiolum longe attenuatis coriaceis supra nitidis subtus opacis, cymis axillaribus breviter pedunculatis folio multo brevioribus, calycis limbo minute 5-dentato, corollae tubo intus pilis retroversis scariosis vestito, staminibus 5, stigmate longe exserto globoso-mitri-formi apice obscure bilobo, drupa compressa late obovata apice emarginata rugosa subtuberculata utrinque sulco notata. Webera lanceolata Moon. Cat. Ceyl. pl. p. 19. In Ceylano alt. 270 hexapod. Varietas *Canthii didymi* Gärtn. nisi ipsissimum illud. Diagnosi utrique omnino convenit praeter foliorum formam. Fatendum autem, me nunquam hanc varietatem e Peninsula Indiae provenientem vidisse, cum tamen varietates ambae in Prodr. fl. Penins. I. O. I. p. 425 descriptae ibi satis vulgares sint, quibus solummodo commotus, ut speciem propriam recensui.



84. *Ixora alba* (Linn.); fruticosa (vel arborea?) glaberrima, foliis breve petiolatis patulis anguste cuneatim lanceolatis acutissimis, corymbis contractis multifloris breviter pedunculatis basi foliis binis subcordato-ovatis sessilibus acutis suffultis, floribus (albis) approximatis sessilibus, calycis dentibus triangulari-acuminatis tubo brevioribus, corollae tubo elongato ( $1\frac{1}{2}$ —2-pollicari) segmentis ovalibus acutis, stylo glabro exserto stigmatis segmentis linearibus. In Ceylano insula. Exempla, quae vidi, nec cum figura Plukenetiana nec cum Rheediana congruunt; at habitu multo magis affinia sunt *Ixorae coccineae*, quacum Linnaeus plantam in herb. Hermannii asservatam comparat.
85. *Ixora elongata* (Heyne); „foliis petiolatis late ovatis basi valde attenuatis glabris, floralibus ovatis sessilibus basi cordatis amplectentibusque, pedunculis terminalibus trichotome corymbosis, corymbis pilosis, corollae tubo glabro segmentis acutis extus praecipue in alabastro pubescentibus, stigmate exserto. Flores apparent coccinei.“ *G. Don.*
86. *Pavetta Brunonis* (Wall.); „undique molliter villosa, foliis obovatis, stipulis bracteisque latis membranaceis, pedunculis trichotomis ramis densis corymbosis, calycis lobis subulatis. Folia adulta glabrescunt.“ *G. Don.*, qui huc trahit *Pavettam Brunonis* atque *Pavettam mollem* Wall.
87. *Pavetta indica* (Linn.). Huius varietatem nuperius e Peninsula accepi foliis subtus tomentosius latoribusque quam in formis descriptis.
88. *Grumilea nigra* (Gärtn.); erecta, foliis breviuscule petiolatis oblongis vel oblongo-lanceolatis basi apiceque acuminatis, stipulis subdeltoideis obtusiusculis deciduis, corymbis compactis pedunculatis, calycis limbo obtuse 5-lobo corolla paullo brevior, bacca ovoidea laevi. In Ceylano alt. 1000 hexapod. *Grumi-*



*leae congestae* valde affinis, at differt inflorescentia semper pedunculata.

89. *Knoxia hirsuta* (Arn.); fruticosa ramosa, ramis ramulisque teretiusculis hirsuto-subvillosis, foliis oblongis supra glabriusculis subtus praecipue ad nervos hirsuto-pilosis, stipulis in setas plurimas longiusculas fimbriatim dissolutis, cymis dense capituliformibus subsessilibus vel pedunculatis, corollae infundibuliformis ore dense barbato extus tubo parce limbo dense villosis, fructu compresso-orbiculari piloso coccis a basi ad apicem disiunctis.  $\alpha$ . Foliis 6—9 lin. longis supra minute hispidis.  $\beta$ . Foliis 1—2-pollicaribus supra ad nervos subhirsutis caeteroquin glaberrimis. In Ceylano;  $\alpha$ , alt. 1000 hexap. Calycis fructus dens unicus lanceolatus foliaceus, caeteri minuti.
90. *Knoxia platycarpa* (Arn.); fruticosa ramosa, ramis teretibus glabris, ramulis teretiusculis utrinque linea pilosa notatis caeteroquin glaberrimis, foliis oblongo-lanceolatis utrinque glaberrimis margine minute ciliatis, stipulis paucisetosis, cymis contractis subumbelliformibus pedunculatis, corolla infundibuliformi extus glaberrima intus in ore barbata, fructu compresso deltoideo-ovato, coccis a basi ad apicem solubilibus, calycis fructus dente unico foliaceo lanceolato caeteris minutis. In Ceylano alt. 500—700 hexap. *Knoxiae ceylanicae* etiam dens est unicus calycis in fructu grandefactus, quapropter forsan *Knoxia stricta* Gärtn. diversam exhibet speciem.

#### DIPSACEAE.

91. *Dipsacus Walkeri* (Arn.); caule aculeato et versus apicem etiam hirsuto, foliis pinnatifidis utrinque molliter pubescentibus, segmentis oblongo-ellipticis obtusiusculis obtuse serratis terminali lanceolato, involucri foliolis patentibus capitulo globoso multo brevioribus, paleis ovatis mucronulatis ciliatis corolla brevioribus.



In Ceylani montibus alt. 1000 hexap. Inter *Dipsacos asperum* et *Leschenaultii* collocandus.

## COMPOSITAE.

92. *Vernonia Wightiana* (Arn.); fruticosa, caule tereti tomentoso, foliis ellipticis obtusis in petiolum angustatis supra parce villosopubescentibus subtus albido-tomentosis repando-dentatis dentibus apiculatis, corymbo terminali nudo denso, capitulis pedunculatis multifloris, pedunculis squamatis, involucri hemisphaerico tomentoso foliolis lanceolatis acuminatis, achaenio glabro subcompresso inaequaliter quadriquetto basi paullum attenuato, pappo exteriori brevi subpaleaceo. In Ceylano. Affinis *Vernoniae ceylanicae* Less., at folia basi exappendiculata.
93. *Vernonia pectiniformis* (DeC.). Huius varietatem (nisi species sit propria) vidi in Ceylani insulae montibus alt. 1000 hexap. lectam, cui involucrum est hemisphaericum foliolis ovalibus minute pubescentibus. Forsan ad *Vernoniam pectinatum* DeC. pertinent haec specimina, at mihi adhuc ignota est ista species.
94. *Vernonia setigera* (Arn.); suffruticosa?, ramis teretibus villosopubescentibus, foliis ovatis longiuscule petiolatis acuminatis serratis supra hirsutulis subtus pallidis subvillosopubescentibus, corymbo polycephalo nudo composito, involucri turbinati foliolis dorso parce pilosis lanceolato-linearibus in setam innocuam longe acuminatis interioribus apice serrato-ciliatis, achaeniis glabriusculis, pappi serie exteriori brevissima. In Ceylano. Valde affinis *Vernoniae conyzoidi* DeC., at involucrum turbinatum seu potius obconicum foliolis parce pilosis longiuscule setigeris; in *Vernonia conyzoides* involucrum cupulatum est basi obtusum et cano-pubescentibus foliolis seu squamis sensim acuminatis, et achaenium cano-pubescentibus.



95. *Vernonia Candolleana* (Wight et Arn.); fruticosa, ramis villosopubescentibus teretibus, foliis oblongo-lanceolatis subacuminatis basi in petiolum brevem villosum attenuatis supra hispidulis subtus plus minusve pubescentibus serratis, serraturis mucronatis, corymbo polycephalo nudo composito, involucri cupulati foliolis oblongis subpungenti-mucronatis versus apices hirsuto-pubescentibus, achaenio glabriusculo, pappo exteriori brevi paleaceo. *Wight Cat. n. 1509.* In montibus Dindygul Peninsulae. A *Vernonia conyzoides* differt foliorum forma et pappo. *Vernoniae setigera, Candolleana* et *conyzoides* ad § 5. VII. Lessingii in *Linnaea* VI. p.671 pertinent.
96. *Vernonia Hookeriana* (Arn.); caule herbaceo brevissime pubescente erecto ramoso striato, foliis ovato-vel oblongo-lanceolatis acuminatis basi in petiolum longiusculum attenuatis supra glabris subtus pallidis pubescentibus serratis, serraturis mucronatis, corymbo composito laxo polycephalo nudo, pedicellis gracilibus, involucri hemisphaerici foliolis lineari-oblongis obtusiusculis cum mucronulo brevissimo pubescenti-villosis, achaenio glabriusculo, pappo exteriori brevissimo. In Ceylani montibus alt. 1000 hexapod. Valde et haecce affinis *Vernoniae conyzoidi*, a qua praecipue differt involucri foliolorum forma.
97. *Vernonia scariosa* (Arn.); fruticosa, ramis pilis purpureis patentibus hirsutis subangulatis, foliis ovatis acuminatis grosse mucronato-serratis basi integerrimis et in petiolum brevem hirsutum longe attenuatis supra hispidis subtus pallidis et hirsuto-pubescentibus, corymbo oligocephalo nudo, capitulis sessilibus, involucri oblongi purpurascentis foliolis obtusis subpungenti-mucronatis inferioribus membranaceis oblongo-ovatis superioribus scariosis lineari-oblongis, achaenio 10-costato basi attenuato, pappo exteriori interiori duplo breviori latioreque. In Ceylano. Ha-



- bitus et pappus *Vernoniae*, at achaenia *Decanuri*. Ad eandem sectionem *Vernoniae* cum tribus antecedentibus trahenda.
98. *Adenostemma angustifolium* (Arn.); glabrum, caule erecto subtetragono simpliciusculo, foliis petiolatis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis a medio ad apicem pauci-dentato-serratis basi integerrimis subtrinerviis, panicula laxa oligocephala, involucri foliolis lineari-oblongis obtusis laevibus glabris, achaeniis (immaturis) obscure glanduloso-tuberculatis. In Ceylano.
99. *Solidago ceylanica* (Arn.); fruticosa ramosa, ramulis dense cano-pubescentibus, foliis petiolatis oblongo-lanceolatis basi apiceque attenuatis sursum denticulato-serratis utrinque subhirsuto-pubescentibus, paniculis corymbosis terminalibus polycephalis, capitulis undique versis, involucri foliolis anguste oblongis intimis glabriusculis exteriores dense pubescentes subduplo superantibus, ligulis numerosis anguste-oblongis patulis, achaenio hirsutulo. In Ceylani montibus alt. 1000 hexap. Capitula parva. Pappi pili numerosi aequales vel saepius inaequales, quibusdam quam caeteris brevioribus ac tenuioribus.
100. *Blumea Wightiana* (DeC.); caule herbaceo erecto tereti striato plus minusve puberulo vel villosopubescente, foliis inferioribus petiolatis ovalibus obtusiusculis basi cuneatis, superioribus cuneatis ovali-oblongis acutis omnibus inaequaliter acute serrato-dentatis utrinque at praecipue subtus pubescentibus vel pubescenti-villosis, capitulis in paniculam thyrsumve terminalem digestis, involucri foliolis linearibus acuminatis exterioribus plus minusve villosis intimis glabrioribus disco paullo longioribus, corollis masculis 8—12 extus tuberculoso-glandulosis.  $\alpha$ , *glabrior*. *Blumea Wightiana* De C. in Wight. Contrib. p. 14; Wight. Cat. n. 1427. In Peninsulae Ind. or. variis locis.  $\beta$ , *villosior*. In Ceylano. Varietas  $\beta$  multo magis villosa quam  $\alpha$ , praecipue



quod ad involucra, at vix aliter differt; diagnosin Candolleanam itaque in paucis reformavi.

101. *Blumea crinita* (Arn.); caule herbaceo erecto tereti (simplici?) hirsuto-villoso, foliis rigidis inaequaliter acute serrato-dentatis utrinque hirtis inferioribus obovatis obtusis in petiolum attenuatis superioribus ovalibus oblongisve acutis sessilibus vel semiamplexentibus, dentibus callosis, capitulis pedicellatis confertis in thyrsum ovato-oblongum digestis, involucri foliolis linearibus subulato-acuminatis barbato-villosis disco longioribus, corollis femineis glaberrimis stylo longe exserto bifido, masculis sub-20 extus muriculatis apice penicillatis. In Ceylani montibus alt. 1000 hexap. Quam maxime affinis *Blumeae hieracifoliae* DeC., at involucrio differt. *Blumeae hieracifoliae* a cl. De Candolle flores masculi 5 in capitulo quoque tribuuntur, at semper plures (sub-10) observavi; stylus etiam dicitur esse subindivisus, qui in exemplis meis bifidus est ut in *Blumea crinita*, at vero minus exsertus. In specie utraque corollas masculas extus muriculatas vidi, at in *Blumea hieracifolia* nunquam apice pilis aliquot penicillatas ut in altera.

#### M O O N I A (Arn.).

*Capitula* heterogama, disco masculo, radio femineo uniseriali sub-5-floro. *Involucrum* biseriale oligophyllum; foliola exteriora 4—5 herbacea, patenti-recurva; interiora sub-5, erecta. *Rhachis* bracteolata, bracteolis oblongis membranaceis uninerviis. *Corolla feminea* ligulata, subpersistens, subquadrata, 3-fida; *mascula* infundibuliformis. *Antherae* nigricantes, ecaudatae. *Stylus* floris feminei apice bifidus, cruribus linearibus longis revolutis; floris masculi simplicissimus, aequalis, apice summo glaber, deorsum pubescens. *Achaenium* obcompressum, utrinque



marginatum, oblongum, ecorticatum, laeve, apice cornubus binis brevissimis tuberculiformibus coronatum. Suffrutex *perennis*, (*herbaceus?*) habitu *Bidentis*. Ramuli *glabriusculi*. Folia *opposita, longe petiolata, integra vel biternatim secta, serrata, serraturis mucronatis, glabra vel parce pilosa, subtus pallida*. Pedunculus *terminalis, nudus, gracilis, elongatus, monocephalus*. Flores *lutei*.

Apparet hoc genus in nomine ALEXANDRI MOON, Catalogi plantarum Ceylanicarum (a Catalogue of Ceylon plants) auctoris, de scientia nostra maxime meriti.

De iusta sede in methodo Lessingiana Mooniae adsignanda in dubitationem nonnullam adductus sum, scilicet utrum inter *Senecionideas* *Parthenieas* iuxta *Tragoceras* novum hoc genus ponendum sit, an potius adscribendum *Silphieis*, quibus, si ad styli florum masculorum structuram respicis, facile proximum iudicares; nihilominus equidem in priorem sententiam magis inclino, cum tanti sit his plantis *Bidentium* similitudo.

102. *Moonia heterophylla* (Arn.). In Ceylano.

103. *Senecio Walkeri* (Arn.); caule scandente tereti striato ramoso, foliis longe petiolatis exstipulatis cordato-ovatis breviter acuminatis denticulatis utrinque subconcoloribus glabriusculisque basi 3—7-nervibus, corymbis axillaribus terminalibusque densis polycephalis longiuscule pedunculatis, involucro sub-8-phyllo basi bracteolis subulatis instructo, ligulis nullis, achaeniis glabris. In Ceylano alt. 1000 hexap. Fortasse est varietas *Senecionis corymbosi*, cui praximus; at vero folia adulta subtus glabra haud dense tomentosa.

104. *Senecio gracilis* (Arn.); herbaceus (annuus?), caulibus basi scabridis simplicibus vel ramosis, ramis glabris elongatis gracilibus oligocephalis (in nostris exemplis 1—2-cephalis), foliis infimis



oblongo-lanceolatis acuminatis basi in petiolum longum attenuatis, superioribus raris linearibus elongatis sessilibus margine revolutis, omnibus integerrimis supra scabriusculis subtus hispidulis, pedunculis elongatis apice bracteolatis, involucri foliolis linearibus apice obtusiusculis ciliatis, ligulis 14—16 subrevolutis. In Ceylano. Affinis *Senecioni Neelgherrensi*, at in exemplis quae vidimus folia omnia integra sunt et superiora haud basi amplectentia.

105. *Senecio lacinosus* (Wall.); annuus erectus glaber humilis simpliciusculus, foliis semel bisve pinnatifidis, laciniis patentibus linearibus acutiusculis, corymbo oligocephalo, capitulis pedunculatis, involucri foliolis glabris lanceolatis acutiusculis, ligulis 8—10 planis patentibus. In Peninsula Indiae orientalis. *Senecionis lacinosi* Wallichii specimen originale adhucdum non vidi. Isthic autem cum Peninsulae indigenus esse dicatur, et nostra specimina sola sint, quae foliis dissectis praedita e Peninsula viderim, eiusdem speciei esse mihi persuasi.

106. *Doronicum Lessingianum* (Wight et Arn.); caulibus elongatis subteretibus striatis hirsutis, foliis cordato-amplexicaulibus oblongo-lanceolatis paucinerviis inciso-serratis, corymbo oligocephalo terminali, pedunculis bracteolatis, bracteolis lineari-subulatis, involucri subhemisphaerici foliolis exterioribus lineari-subulatis laeviusculis interiora oblongo-lanceolata muricato-subhispida aequantibus, ligulis 8—10 anguste ovalibus sub-9-nerviis. *Wight. Cat. n. 1507.* In Peninsulae australioris montibus. Affine *Doronico Arnottii* De C., at vix varietas luxurians esse potest.

107. *Doronicum Walkeri* (Arn.); caule herbaceo erecto simplici ( $\frac{1}{2}$ —2-pedali) basi hirsuto apice glabriusculo, foliis infimis paucis ovatis petiolatis grosse duplicato-serratis, mediis ad petioli ba-



- sin auriculatis, superioribus oblongis incisiss serratis basi amplectentibus, omnibus utrinque parce hispidulis subtus pallidis, corymbo laxo oligocephalo, pedunculis squamatis, squamis subulatis, involucri uniserialis foliolis lanceolatis acutis glabris, ligulis 8 planis anguste ovalibus 4-nerviis. In Ceylani montibus alt. 1000 hexap.
108. *Doronicum Candolleanum* (Wight et Arn.); suffruticosum ramosum, ramis striatis glabriusculis oligo- (1—2-) cephalis, foliis subincanis hispido-pubescentibus pinnatifidis, laciniis brevibus oblongis acutis quandoque denticulo brevi instructis, pedunculis ad apicem squamatis squamis minutis, involucri uniserialis foliolis lanceolatis dorso cano-hispidis, ligulis 8—10 anguste ovalibus 3—5-nerviis. *Wight. Cat. n. 1508.* In Peninsulae Indiae orientalis montibus australioribus.
109. *Gynura nudicaulis* (Arn.); herbacea, radice tuberifera, caulibus subsimplicibus glabriusculis striatis, foliis crassiusculis fere omnibus radicalibus lyrato-pinnatifidis iunioribus cano-pubescentibus adultis subglabris, caulinis paucis distantibus lineari-oblongis pinnatifidis, corymbo oligocephalo contracto, pedunculis cano-pubescentibus, bracteolis paucis subulatis, involucrio subcampanulato flosculis subaequali bracteolis duplo longiori. In Peninsula Indiae orientalis. — Valde huic est affinis *Gynura bulbosa* Hook. et Arn. (seu *Cacalia bulbosa* Lour.), at illi folia sunt magis carnosae et subtus venis purpureis approximatis eleganter lineolata.

## LOGANIACEAE: Subordo GAERTNERIEAE.

## S Y K E S I A (Arn.).

*Calyx* turbinatus, repando-5-dentatus, dentibus acutis, demum late cupulatus. *Corolla* infundibuliformis; tubo ad antherarum



insertiones barbato; limbo 5-fido, aestivatione convoluto-imbri-  
cata. *Stamina* 5: *filamenta* brevia vel subnulla: *Antherae*  
lineari-oblongae: pollen compresso-sphaericum, triangulare,  
laeve, angulis papilla sphaerica maiuscula instructis. *Ovarium*  
calyci subaccretum, truncatum, biloculare, biovulatum, ovulis  
ad loculorum basin erectis. *Stylus* filiformis. *Stigma* pube-  
scens vel puberulum, bifidum. *Bacca* sicca, crustacea, libera,  
utrinque sulco notata, bilocularis: loculis monospermis. *Semi-  
na* erecta, orbicularia, plano-convexa, esulcata. *Albumen*  
corneum. *Embryo* erectus, minutus, in regione umbilici situs.  
Frutices Ceylanici, *glabri*. Folia opposita, petiolata, inte-  
gra et integerrima; stipulis intrafoliaceis vaginantibus longe tu-  
bulosis, nec truncatis nec plurisetiferis. Flores paniculati: pedi-  
celli versus apicem, vel calyces ad basin, bracteolis 1—2 minu-  
tis, quandoque obsoletis, instructi.

Honori meritisque cl. SYKES, qui circa „Bombay“ plurimas  
plantas legit, raras sane at nescio quo casu adhuc a nullo Botani-  
corum descriptas, genus hoc dedicavi.

Etiamsi species Gaertnerae generis Lamarckiani genuinae,  
quae viderim, haud omnino perfectae essent et bene conservatae,  
id saltem manifesto deprehensum apparebat, species nostras Cey-  
lanicas cum Gaertneris non esse consociandas. Igitur, cum me-  
liores characteres in promptu non essent, ad distinguendum no-  
vum hoc genus tubum corollae barbato arripui, qui veris  
Gaertneris, quoad observari a me potuerunt, non est tributus. —  
Fructum *Gaertnerae* drupam esse nucleo duplici chartaceo prae-  
ditam perhibent Gaertnerus et Lamarckius; quod quidem haud  
maximi facio, cum figurae, a Gaertnero exhibitae, structurae  
quam supra descripsi, aequae convenient. Stylum bifidum stigma-  
tibus capitatis Gaertnerae tribuens, aperte erravit Lamarckius;



namque stylus his plantis integer est, stigma autem bipartitum, segmentis lineari-oblongis. Stipulae Gaertneriarum amplae sunt truncatae setulisque nonnullis praeditae, pollen autem (Gaertnerae paniculatae) \*) a Mohlio describitur sphaericum papillisque crebris conspersum, quod ipse in omnibus quas examini subieci speciebus comprobavi, licet propriis observationibus hoc in casu non omnino confidam propterea quod pollen a me observatum ex antheris immaturis laesisque desumptum esset. Caeterum utrumque horum generum gaudet „ovario binovulato“ et „fructu dispermo ovulis seminibusque erectis“, quam ob rem, accedente etiam „stigmatate bipartito“ (sive stylo apice bifido) genera haec cum reliquis Loganieis, servato caractere quo nunc definire solent istum subordinem, sola genera Loganiam et Geniostoma (quod sciam) rite amplectentem, intra eosdem terminos coniungi nequeunt.

110. *Sykesia Koenigii* (Arn.); foliis obovato-oblongis ovalibusve breviter acuminatis basi attenuatis, panicula composita trichotoma corymbiformi minute puberula pedunculata foliis breviora, corollae tubo calycem subduplo excedente ore barbato, antheris exsertis, filamentis conspicuis. Psychotria vaginans *DeC. Prodr. IV. p. 520*; *Wight. Cat. n. 1352*; *Wight. et Arn. Prodr. fl. Pen. I. p. 434*. In Ceylano.

111. *Sykesia thyrsiflora* (Arn.); foliis oblongo-lanceolatis apice longe attenuatis basi acuminatis, panicula simplici thyrsiformi pedunculata folia superante, corollae tubo calyce duplo longiore ore barbato, antheris exsertis, filamentis conspicuis, stylo pubescente. In Ceylano.

---

\*) *Gaertnera racemosa* Roxb., quam ad eundem ordinem refert cl. Mohlius, Malpighiacea est, et pollen valde diversum exhibet.



112. *Sykesia Walkeri* (Arn.); foliis oblongo-lanceolatis apice longe ac tenuiter attenuatis basi acuminatis, panicula simplici thyrsiformi pedunculata folia superante, corollae elongatae tubo calyce 5—6-plo longiore intus medio barbato, antheris inclusis, stylo puberulo. In Ceylano.

## LABIATAE.

113. *Plectranthus Walkeri* (Arn.); caule herbaceo erecto simpliciusculo puberulo, foliis anguste lanceolatis acuminatis basi integerrimis superne grosse serratis glabris in petiolum angustatis, floralibus parvis, bracteis minutissimis, panicula simpliciuscula pauciflora, calycibus fructiferis declinatis ovatis incurvis striatis glabris ore bilabiato dentibus ovalibus obtusis subaequalibus, corollis basi declinatis et superne gibbis tubo calyce 3-plo longiore, staminibus exsertis. In montibus Ceylani. (Vidi tantum exemplum unicum in herb. Grahamii.) Affinis *Plectrantho Gerardiano* Benth.

114. *Coleus Benthamianus* (Arn.); caule subcarnoso glabriusculo, foliis petiolatis oblongo-lanceolatis acuminatis basi cuneatis et in petiolum attenuatis dentato-serratis crassiusculis subrigidis supra glabriusculis subtus pallidis praecipue ad nervos venasque pilis articulatis adpersis, floralibus deciduis, petiolis rufo-pubescentibus, racemo terminali paniculiformi, verticillastris cymbiformibus, pedunculo communi utrinque subelongato ramis brevibus, pedicellis calyce brevioribus, calycibus fructiferis declinatis minutissime puberulis ovatis, fauce intus nuda, dente supremo ovato longiuscule acuminato supra concavo inferioribus lanceolato-subulatis subaequalibus basi vix connatis, corollae tubo flexuoso elongato fauce ampliata labiis subaequalibus. In Ceylani montibus. (Vidi solummodo in herbario cl. Grahamii.) Affinis *Coleo glabrato* et *Coleo paniculato* Benth.



115. *Leucas* (*Astrodon*) *hamatula* (Wight et Arn.); erecta (suffruticosa?) rufo-canescens, foliis lineari-lanceolatis obtusis obtuse serratis supra cano-pubescentibus subtus albido-subtomentosis, verticillastris approximatis, calycibus cano-pubescentibus tubulosis infra medium paullum inflatis ore aequali intus villosio indentes 10 breves aequaliter fissis, dentibus bracteisque mollibus apice revolutis, corollae tubo intus annulato. *Wight. Cat. n. 2241.* In Peninsula, forsitan in Mysore, legit D. Campbell. Folia 1—1½ pollicaria, floralia calyces superantia. Characteres ad *Leucam stelligeram* accedunt, at habitu multo affinior est *Leucae rosmarinifoliae*. Ab omnibus speciebus huius sectionis differt calyce haud truncato sed 10-fido lobis seu dentibus basi latis ac se mutuo contingentibus. In systemate post *Leucam ternifoliam* collocari potest.

## SCROPHULARINAE.

116. *Pterostigma capitatum* (Benth.). In exemplis omnibus, quae vidi, tam in Peninsula quam in Ceylano lecta, capsula iunior est apice attenuata vel rostrata; at posteaquam grandefacta est, oblonga aut vix ac ne vix quidem rostrata apparet, tum denique dehiscente capsula valvulae rursus apice rostratae evadunt. In omni autem statu ovarium seu capsula supra basin ovatam subito contrahitur et itaque potius rostrata quam oblonga describi potest. Calyx (nisi a fructu ruptus) nunquam est 5-partitus, sed semper circiter ad medium usque fissus. Quibus commotus, *Pterostigma spicatum* rursus ad *Pterostigma capitatum* refero.
117. *Glossostigma spathulatum* (Wight et Arn.). *Wight. Cat. n. 2190.* Microcarpaea spathulata *Hook. Bot. misc. II. p. 101. Suppl. t. 4; Benth. Scroph. Ind. p. 31.* *Limosella diandra Linn. Mant. p. 252.* Character genericus, a cl. Benthamico l. c.



datum, bonus est, at genus hoc certo diversum est a *Microcarpaea* Brownii, quam etiam in Peninsula atque Ceylano lectam possideo. In *Glossostigmate* calyx est campanulatus, breviter trilobus, et extus laevis; in *Microcarpaea* autem tubulosus, 5-costatus, 5-gonus, 5-fidus.

118. *Büchnera longiflora* (Arn.); pusilla glabra laevis, foliis inferioribus integris filiformibus, superioribus pinnatisectis segmentis paucis filiformibus, calycibus profunde 5-fidis 5-costatis, corollae (pallide caeruleae) glabrae tubo gracili elongato ( $1\frac{1}{2}$ —2-pollicari!) apice recto, limbo subaequali, fructu compresso late ovato peroblique rostrato. In ora Malabariae ad Cannanore; *D. Campbell*. Calyx sectionis *Campuleiae*, corollae tubus *Peripeae*. Haec species nulli, quam equidem viderim, affinis est.



## A d d e n d a.

*Academiae exhibita die XVI. Maii a. MDCCCXXXVI.*

---

1. *Olax Heyneana* Wall. Cat. n.6780. — Huius speciei exemplum denique accepi littera „B“ notatum, quo accuratius inspecto, non esse hanc *Olacis* speciem sed eiusdem atque *Gomphandram Pinangianam* Wall. generis maximeque Gomphandrae illi coniunctam. In neutro autem horum speciminum floris structuram tam perspicue exquirere potui, ut certa veri specie diiudicarem, an cum *Lasianthera tetrandra* Wall., quae sola *Gomphandrae* generis typus, eodem caractere generico conspirent istae species, an potius ab eodem sint separandae. In alabastro a me dissecto staminum et numerus et structura differre videbantur a communi Gomphandrarum indole.
  
2. *Connarus monocarpus*. Specimina, a memet Wightioque in Prodro-mo (I. p.143) descripta, fructus nec flores perfectos exhibebant, quo nescio an in errorem gravio-rem inducti simus. Etenim cum novissimo isto tempore alia specimina, quae flores perfectos fructusque ferebant, inspicerem, stylos in quoque flore quinos reperi; ex quo sequitur, speciem istam non *Connari* esse generis sed *Roureae*, nec fere aliam omnino esse speciem ac *Rouream santaloidem* W. et A. Scilicet, specimina nostra huius Roureae teneri apparent ramuli tempore florum e iuvenili ramo decerpti, quorum igitur folia tenuiora inventa sunt et membranaceo-coriacea, cum *Connari* contra nostri *monocarpi* folia pleraque latiora sint, saepe basi subcordata, et crasso-coriacea. Utriusque autem inflorescentia prodit axillaris floribus ovarioque glabris. Ad hanc speciem referendum esse synonymon Rheed. H. Mal. VII.



t. 26. existimo, reliqua autem synonyma omnia, a me Wightioque olim citata, vero adscribenda esse censeo *Connaro monocarpo* Lin., quem *Connarum pinnatum* Lamarckio appellatum iam mihi persuasum est. Specimen equidem herbarii Hermanniani, quod fundamento erat isti speciei sive Florae Zeylanicae n. 248, ipse nondum vidi, argumenti autem aliquid ad comprobendam meam sententiam hausi e specimine *Connari pinnati* Lam., quod nuper Ceylano advectum vidi nomine signatum barbaro *Ratu-Radalya*, consono sane illi *Radelisawael* a Linnaeo ad hanc speciem adnotato. Fatendum tamen, levioris omnino habenda esse argumenta a nominibus vulgatis plantarum derivanda, ipsumque Linnaeum *Radalya* nomen ad Sophoram heptaphyllam retulisse.

3. *Crotallaria nana*. Plantam, quam hoc nomine appellatam descripsimus, consentiente etiam Wightio viro dilectissimo, eandem quam Burmannus pridem notam effecit esse speciem statuebamus, neque immerito id quidem, cum tanta iconis ab illo editae speciminumque nostrorum existere videretur congruentia. Animadvertendum est autem (quod l.c. addere negleximus), Burmanno plantam hanc e Iava insula esse adlatam, et Candollium, qui specimen originale vidit, folia isti speciei tribuere glabra, quae pilosa sunt omnibus speciminibus, quotquot eius nominis in Peninsula aut in Ceylano insula collecta vidimus.

#### CUCURBITACEAE.

4. *Zanonia Wightiana* (Arn.); caule glabro, foliis trifoliolatis glabris, foliolis oblongo-lanceolatis acuminatis serratis lateralibus basi oblique subcordatis, calyce (maris) 5-partito laciniis obtusis, corollae gamopetalae segmentis lanceolatis apice longe subulato-attenuatis, filamentis in columnam tenuem omnino coalitis,



antheris 5 radiatim patentibus. In Ceylano insula (fide herb. Wight).

## CONVOLVULACEAE.

5. *Argyreia hirsuta* (W. et A.); ramis petiolis pedunculisque patentim hirsuto-pilosis, foliis rotundato-cordatis breviter acuminatis supra viridibus adpresse strigoso-hirsutis subtus cinereo-albidis, subhirsuto-tomentosis, pedunculis folia subaequantibus vel superantibus apice cymoso-multifloris, bracteis lineari-oblongis vel anguste linearibus cum floribus intermixtis, sepalis ovato-ellipticis saepius obtusis externe hirsutis. *Wight. Cat. n. 2254.* In montibus Peninsulae australioribus; *Wight.*

Species *Argyreiae Neelgherryanae* Ch. affinis, at foliis subtus tomentosis distincta. Corolla eiusdem coloris atque magnitudinis atque illius. Fructus globulari-ovatus, glaber. Flos inflorescentiae infimus, in dichotomia situs, sepala praesertim exteriora lineari-lanceolata et acuminata exhibet, in floribus autem superioribus sepala sunt plus minusve obtusa.

6. *Argyreia pilosa* (W. et A.), patentim hirsuta, foliis orbiculari-cordatis utrinque strigoso-hirsutis subtus pallidis subglaucisque, pilis e tuberculis ortis, pedunculis foliis brevioribus apice umbellatim pauci- (2—5-) floris, bracteis linearibus cum floribus intermixtis, sepalis lineari-lanceolatis acuminatis bracteas aequantibus externe hirsutis, corolla externe hirsutissima. *Wight. Cat. n. 2255.* In Peninsulae montibus australioribus; *Wight.*

Varietas est *Argyreiae Neelgherryanae* Ch. verae, mihi adhuc non visae; at diversa species esse videtur foliis subtus non rufescentibus sed lividis glaucisque, atque sepalorum forma. Corolla fere eadem.

7. Propositum mihi fuit, hac occasione data addere nonnulla, quae in characteribus specificis Convolvulacearum, a cl. Choisy exhibitis,



speciminibus Wightianis non omnino congrua videbantur proptereaue corrigenda. Iam vero mutato consilio haec omnia secundo Prodromi nostri volumini inserenda remitto. Hoc unum isto loco monebo, clarissimum auctorem in synonymis hinc inde errasse, cum, Wallichium Florae Indicae auctorem esse persuasus, Floram hanc secundum specimina Herbarii Wallichiani citaret, cum tamen ipse Wallichius de Roxburghii (dictae Florae veri auctoris) sententia saepenumero dubius haeserit.

8. The following extract from a letter which I have lately received from Dr. Wight may be interesting:

„I have lately received a copy of the first volume of the Flora Senegambiae, which, although hitherto I have only had time to examine the plates, satisfies me how much the flora of that country and of the Peninsula agrees, and that if we had the specimens to compare, we might reduce the number of species considerably more than proposed by you in the Annales des sciences naturelles: Thus *Cocculus Bakis* resembles too closely our *Cocculus cordifolia*, and the *Cissampelos mucronata* is scarcely a variety of *Cissampelos convolvulacea*: *Triumfetta pentandra* seems so much allied to our *Triumfetta angulata*, that if I saw it growing in India, I should pass it as such: *Heudelotia africana* belongs, as I think, to the same genus as our *Protium Gileadense*, and is, I suspect, a native of this country, at least I have a plant *very like it*, a large shrub, which I found near Bellary: *Dalbergia melanoxyton* appears to be precisely our *Dalbergia frondosa*.“



## EXCURSUS

DE

## SOLANO WIGHTII,

QUEM ARNOTTII COLLEGAE OBSERVATIONIBUS

ADDIDIT

**NEES AB ESENBECK.**

---

**D**um ea, quae in antecedentibus de pluribus Indiae orientalis plantis et inter eas maxime Ceylanicis summa eruditione et ingenii acumine disseruit Arnottius, collega et amicus summe colendus, legibam typisque exscribenda curabam, subit animum recordatio Wightii, viri clarissimi iam in Indiae vastis regionibus ad novas opulentissimasque plantarum messes rursus conversi, quem quidem atque Wallichiumque virum dilectissimum Deus ut sospites nobis conservet, precamur. Inter haec autem, uti fieri solet, cum amicorum longo terrarum spatio a nobis disiunctorum recordatione in curas et sollicitudinem abripimur, ut ad imagines illorum pictas oculos convertamus easque mente perspicaci intuentes et vivere ipsos quos tanquam vivos et praesentes adspicimus, et esse sanos ac salvos nobis persuadeamus, imaginem equidem quaerebam viri praestantissimi; sed frustra id egi, qui quidem nec vultum viri praesentis neque pictam eius imaginem unquam conspexerim.





Walker-Arnott, George Arnott. 1836. "Pugillus plantarum Indiae orientalis. Composuit G.A. Walker-Arnott." *Nova acta physico-medica Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosum* 18(1), 321–356.

**View This Item Online:** <https://www.biodiversitylibrary.org/item/132272>

**Permalink:** <https://www.biodiversitylibrary.org/partpdf/247664>

**Holding Institution**

Natural History Museum Library, London

**Sponsored by**

BHL-SIL-FEDLINK

**Copyright & Reuse**

Copyright Status: Public domain. The BHL considers that this work is no longer under copyright protection.

This document was created from content at the **Biodiversity Heritage Library**, the world's largest open access digital library for biodiversity literature and archives. Visit BHL at <https://www.biodiversitylibrary.org>.